NUPERRIME DETECTAE

PHAEDRI FABULAE

TRIGINTA.

Quidquid sub terrâ est, in apricum proferet aetas.

Horat. Lib. I. Ep. VI.

JULII PHAEDRI

AUGUSTI LIBERTI

FABULAE TRIGINTA

NUPERRIME DETECTAE

E

MANUSCRIPTO CODICE

R. BIBLIOTHECAE NEAPOLITANAE

CUM NOTIS.

MEDIOLANI
TYPIS F. FUSII ET SOCIOR.
M. DCCC. XII.

LUDOVICO . LAMBERTO

EQUITI . CORONAE . FERREAE

IN . LEGIONIS . HONORARIAE

ET . REGII . ITALICI . ATHENAEI

SODALES . ADLECTO

III. VIRO . À . PUBLICIS . STUDIIS

R. BIBLIOTHECAE . MEDIOL.

PRAEFECTO.

PRAESTANTISSIME VIR.

Cuinam potissimum, quam tibi, hasce ab interitu ne dum vindicatas, sed vel in vulgus prolatas PHAEDRI fabellas velint inscribi quotquot sunt litterarum amatores? Cuinam, potius

quam tibi, cum te nobilissimis honoris insignibus merito donatum, te in Consilium rei litterariae scite adhibitum, in Palladis aede Praesidis officio fungentem, te denique linguae graecae eruditione, expolitione, atticâque omni culturâ florentem suspiciant, ac prope veneratione prosequantur? Convolant itaque lubentissime in sinum ipsaemet Fabellae tuum, tuoque jam aspectu recreatae non tam relevantur dolore, quod irrepertae tamdiu delituerint ruinis et squalore obrutae, quam fati felicitatem sibi gratulentur, quod tanti Viri nactae sint oppor-

tunitatem. Exigua equidem res, et minus fortasse digna, quam ut praeferat nomen, cujus celebritatem tot extollunt praeclare scripta, et maxime recens Homeri Carmen, quod ad cultum, et ad conciliandam, quoad fieri possit, debitam Poetarum principi relligionem typis Bodonianis excudendum curasti. Verum vel ab exiguo opere quidni existimes non tenue in studia incrementum profecturum, animadversâ, quae semper, ut probe calles, eminet in hoc auctore, singulari prorsus rerum sententiarumque sagacitate, incredibilique scribendi suavitate? Quare

prodeant istae Fabellae, tuique ipsius fulgore ad perennem artium optimarum faustitatem renideant.

Franciscus Fusi et Socii.

PRAEFATIO.

Triginta noviter detectas tibi sistimus, Lector benevole, Fabulas, e manuscripto Farnesiae olim, modo Regiae quae est Neapoli, Bibliothecae Codice Saeculi quintodecimi

erutas, eâque in Urbe primò omnium in lucem emissas. Eas Julii Phaedri, Augusti Liberti, esse partum, aureae stylus latinitatis, Romani aevi mores ac consuetudines, aliaque plura, quae apud earum nuperos editores uberius enucleata reperias, quidquid Heynius, aliive obloquantur, persuadent. Easdem non modo Cassittus, qui, ut videtur, omnium primus in Codice delitescentes agnovit ac detexit, sed et postliminio Jannellius, Neapoli recusas, eruditissimis animadversionibus illustravere. Licet vero triginta et duas, juxta numerum qui est in manuscripto, recensere non dubitâ-

*rint, reverâ tamen vix ad tricesimum ascendere, res ipsa demonstrat; etenim quae numero sexto apud Cassittum posita est Fabella, nonnisi quendam esse Prologum alterius cujusdam, ac cum eâ, quae vicesimo-quarto reperitur loco (*de Pastore et Capella*) aptè posse connecti, quod et nos praestitimus, quivis intelliget; et quam is secundo collocavit numero, merum esse similiter sive Epilogum sive Prologum, materies ipsa pariter ostentat; unde et nos, cum Jannellio, ad calcem relegavimus. De reliquo emendationes Editoris utriusque, alias quidem adoptavimus, alias*

vero, quae minus tutae videbantur, interjectis earum loco punctulis, praetermisimus.

Mediolani XII. Kal. Januar. M. DCCC. XI.

NUPERRIME DETECTAE

PHAEDRI FABULAE

TRIGINTA.

Forte et hae aliquando claustra, quibus continentur, perrumpent.

Burmannus ad Lectorem in append. Fabul.

FABULA I.

De Oraculo Apollinis.

AUCTOR.

Utilius nobis quid sit, dic, Phoebe, obsecro,
Qui Delphos et formosum Parnassum incolis,
Quid ô sacratae Vatis horrescunt comae,
Tripodes moventur, mugit adytis Religio,
Tremuntque lauri, et ipsa pallescit dies?
Voces resolvit acta Pythia Numine,
Docetque gentes Delii monitus Dei:
Pietatem colite. Vota Superis reddite.
Pàtriam, parentes, natos, castas conjuges,
Defendite armis. Hostem ferro pellite.
Amicos sublevate. Miseris parcite.
Bonis favete. Subdolis ite obviam.
Delicta vindicate. Cohibete impios.
Punite turpi thalamos qui violant stupro.
Malos cavete. Nulli nimium credite.

Haec eloquuta concidit Virgo furens;
Furens profectò; nam quae dixit perdidit.

FABULA II.

Non esse plus aequo petendum.

Auctor.

Arbitrio si Natura finxisset meo,
Genus mortale longe foret instructius;
Nam cuncta nobis attribuisset commoda,
Quaecunque indulgens Fortuna animali dedit:
Elephantis vires, et Leonis impetum;
Cornicis aevum, gloriam Tauri trucis;
Equi velocis placidam mansuetudinem;
Et adesset Homini sua tamen solertia.
Nimirum in Coelo secum ridet Jupiter,
Haec qui negavit magno consilio Hominibus;
Ne sceptrum mundi raperet nostra audacia.
Ergo contenti munere invicti Jovis,
Fatalis annos decurramus temporis;
Nec plus conemur, quam sinit mortalitas.

FABULA III.

Avarum etiam quod superest, non libenter dare.

Simius et Vulpes.

Vulpem rogabat partem caudae Simius,
Contegere honeste nudas posset ut nates;
Cui sic maligna: Longior fiat licet,
Per spinas et lutum citius tamen traham,
Quam partem, quamvis parvam, impertiar tibi.

FABULA IV.

Quam sit homines nôsse difficile.

Pompejus et Miles.

Magni Pompeji Miles vasti corporis,
Fracte loquendo, et ambulando molliter,
Famam Cinaedi traxerat certissimam;
Hic insidiatus nocte jumentis Ducis,
Cum veste, et auro, et magno argenti pondere,
Avertit mulos. Factum rumor distulit;
Arguitur Miles; rapitur in praetorium;
Tunc Magnus: Quid ais? Tune me, commilito,
Spoliare es ausus? Ille continuò exscreat
Sibi in sinistram, et sputum digitis dissipat:
Sic, Imperator, oculi exstillescant mei,
Si vidi aut tetigi. Tum Vir animi simplicis
Inanes suspiciones propelli jubet,
Nec cadere in illum credit tantam audaciam.

Haec inter castra accessit, et fidens manu
Romanos armis provocabat Barbarus;
Sibi quisque metuit, primi mussant duces;
Tamen Cinaedus habitu, sed Mars viribus,
Adit sedentem pro tribunali Ducem,
Et voce molli: licet? Enim vero ejici,
Ut in re atroci, Magnus stomachans imperat.
Tum quidam senior ex amicis Principis:
Hunc ego committi satius Fortunae arbitror,
In quo jactura levis est, quam fortem virum,
Qui casu victus, temeritatis te arguat.
Assensit Magnus, et permisit Militi
Prodire contrà; qui, mirante exercitu,
Dicto celeriùs, hostis abscidit caput,
Victorque rediit. His tum Pompejus super:
Coronâ, Miles, equidem te dono libens,
Quia vindicasti laudem Romani Imperî;
Sed exstillescant oculi sic, inquit, mei;
Turpe illud imitans, quod Cinaedus fecerat;
Nisi tu abstulisti sarcinas furto meas.

FABULA V.

Alium irridens, ipsus ridendum se se propinat.

Mercurius et Mulieres.

Mercurium hospitio olim Mulieres duae
Illiberali ac sordido receperant;
Quarum una in cunis parvum habebat filium;
Quaestus placebat alteri meretricius.
Ergo ut referret gratiam officiis parem,
Abiturus, et jam limen excedens ait:
Deum videtis; tribuam vobis protinus,
Quod quaeque optârit. Mater supplicat rogans,
Barbatum ut videat natum quamprimum suum;
Moecha, ut sequatur se, quidquid tetigerit.
Volat Mercurius. Intro redeunt Mulieres.
Barbatus infans, ecce, vagitus ciet.
Id quum Meretrix rideret validius,
Nares replevit humor ut fieri solet.
Emungere igitur se volens, prendit manu,

Traxitque ad terram nasi longitudinem,
Et aliam ridens, ipsa ridenda extitit.

FABULA VI.

De Veritate et Mendacio.

Prometheus et Dolus.

Olim Prometheus seculi figulus novi,
Creta subtili Veritatem fecerat,
Ut jura posset inter homines reddere.
Subito accersitus Nuntio Magni Jovis,
Commendat officinam fallaci Dolo,
In disciplinam nuper quem receperat.
Hic studio accensus, facie simulacrum pari,
Unâ staturâ; simile et membris omnibus,
Dum tempus habuit, callidâ finxit manu;
Quod prope jam totum, mirè quum positum foret,
Lutum ad faciendos illi defecit pedes.
Redit Magister, festinante quo Dolus,
Metu turbatus, in suo sedit loco.
Mirans Prometheus tantam similitudinem,
Propriae videri voluit artis gloriam;

Igitur fornaci pariter duo Signa intulit;
Quibus percoctis, atque infuso spiritu,
Modesto gressu sancta incessit Veritas;
At trunca species haesit in vestigio.
Tunc falsa imago, atque operis furtivi labor,
Mendacium appellatum est, quod ne . . .
Pedes habere, f. . . le ipse . . . .

FABULA VII.

Sensum aestimandum esse, non verba.

Auctor.

Ixion qui versari jactatur rota,
Volubilem Fortunam jactari docet.
Adversus altos Sisyphus montes agens
Saxum, labore summo, quod de vertice
Sudore semper irrito revolvitur;
Ostendit hominum sine fine esse miserias.
Quod stans in amne Tantalus medio sitit,
Avari describuntur, quos circumfluit
Usus bonorum; sed nil possunt tangere.
Urnis scelestae Danaides portant aquas,
Pertusa nec complere possunt dolia;
Imo, luxuriae quidquid dederis, perfluet.
Novem porrectus Tityos est per jugera,
Tristi renatum suggerens poenae jecur;
Quo quis majorem possidet terrae locum,

Hoc demonstratur curâ graviore affici.
Consultò involvit Veritatem antiquitas,
Ut sapiens intelligeret, erraret rudis.

FABULA VIII.

Quomodo ferox domanda sit juventus.

JUVENCUS ET BOS VETULUS.

Pater familias saevum habebat Filium,
Hic e conspectu Patris quum recesserat,
Verberibus servos afficiebat plurimis,
Et exercebat fervidam adolescentiam.
AEsopus ergo narrat hoc breviter Seni:
Quidam Juvenco vetulum jungebat Bovem;
Is quum refugiens impari collo jugum,
AEtatis excusaret vires languidas,
Non est quod timeas, inquit illi Rusticus;
Non ut labores jungo; sed ut istum domes,
Qui calce et cornu multos reddit debiles.
Sic tu ni gnatum tecum assidue retines,
Et saevum ingenium comprimis clementiâ,
Vide ne querela major accrescat domus;
Atrocitati mansuetudo est remedium.

FABULA IX.

Nihil esse occultum quod non reveletur.

Pastor et Capella.

Simulata interdum vitia prosunt hominibus;
Sed tempore ipso tamen apparet Veritas.
Pastor Capellae cornu baculo fregerat;
Rogare coepit, ne se Domino proderet:
Quamvis indignè laesa, reticebo tamen;
Sed res clamabit ipsa quid deliqueris.

FABULA X.

De Mulierum libidine.

Juno, Venus et Gallina.

Quum castitatem Juno laudaret suam,
Jucunditatis caussâ non repulit Venus;
Nullamque ut affirmaret esse illi parem,
Interrogasse sic Gallinam dicitur:
Dic sodes, quanto possis satiari cibo?
Respondit illa: quidquid dederis satis erit;
Sed ut concedas pedibus aliquid scalpere.
Ne scalpas, inquit, satis est modius tritici?
Plane; imo nimium est; sed permitte scalpere.
Ex toto ne quid scalpas, quid desideras?
Tum denique illa fassa est naturae malum:
Licet horreum mî pateat, ego scalpam tamen.
Risisse Juno dicitur Veneris joco,
Quia per Gallinam demonstravit feminas.

FABÚLA XI.

De malo Scriptore se ipsum laudante.

AEsopus et Scriptor.

AEsopo quidam scripta recitârat mala,
In quîs inepte multum se jactaverat.
Scire ergo cupiens quidnam sentiret Senex:
Numquid tibi, inquit, sum visus superbior?
Haud vana nobis ingenii fiducia est.
Confectus ille pessimo volumine,
Ego, inquit, quod te laudas vehementer probo;
Namque hoc ab alio numquam continget tibi.

FABULA XII.

Quanta mulierum sit inconstantia.

Mulier vidua et Miles.

Per aliquot annos quaedam dilectum virùm
Amisit, et sarcophago corpus condidit;
A quo divelli nullo quum posset modo,
Et in sepulcro lugens vitam degeret,
Claram assequuta est famam castae Virginis.
Interea fanum qui compilârant Jovis,
Cruci suffixi, luerunt poenas Numini.
Horum reliquias ne quis posset tollere,
Custodes dantur milites cadaverum,
Monumentum juxta, Mulier quo se incluserat.
Aliquando sitiens unus de custodibus,
Aquam rogavit mediâ nocte ancillulam,
Quae forte Dominae tunc adsistebat suae,
Dormitum eunti; namque lucubraverat,
Et usque in serum vigilias perduxerat.

Paullum reclusis foribus Miles prospicit,
Videtque aegram, sed facie pulcrâ feminam.
Corruptus animus illicò succenditur,
Sensim impudicâ et uritur cupidine.
Solers acumen mille caussas invenit,
Per quas videre possit illam saepius.
Quotidianâ captà consuetudine,
Paullatim facta est advenae submissior;
Mox arctiore vinxit animum copulâ.
Heïc dum consumit noctes Miles diligens,
Desideratum est corpus ex unâ cruce.
Turbatus Miles factum exponit Mulieri.
At sancta Mulier: non est quod timeas, ait;
Virique corpus tradit figendum cruci,
Ne subeat ille poenas negligentiae.
Sic turpitudo laudis obsedit locum.

FABULA XIII.

Fortunam interdum hominibus praeter spem favere.

DUO PROCI; PAUPER ET DIVES.

Unam expetebant Virginem Juvenes duo;
Vicit Locuples genus et formam Pauperis.
Ut nuptiarum dictus advenit dies,
Amans, dolorem quia non poterat perpeti,
Moerens, propinquos contulit se in hortulos;
Hos ultrà paullo, villa splendida Divitis
Erat acceptura Virginem e matris sinu;
Parum ampla, in urbe, visa quod fuerat domus.
Pompa explicatur; turba concurrit frequens,
Et conjugalem praebet Hymenaeus facem.
Asellus autem, qui solebat Pauperi
Quaestum referre, stabat portae in limine.
Illum puellae casu conducunt suae,
Viae labores, teneros ne laedant pedes.
Repente coelum, Veneris misericordiâ,

Ventis movetur; intonat mundi fragor;
Noctemque densis horridam nimbis parat.
Lux rapitur oculis, et simul vis grandinis
Effusa, et pluvia densa cunctos dissipat,
Sibi quemque cogens petere praesidium fugâ.
Asellus notum proximè tectum subit,
Et voce magnâ sese venientem indicat.
Procurrunt pueri, pulcram affirmant Virginem,
Et admirantur; deinde Domino nuntiant;
Inter sodales ille paucos adcubans,
Amorem crebris avocabat poculis.
Ubi nuntiatum est, recreatus gaudio,
Hortante Baccho et Venere dulces perficit,
AEqualitatis inter plausus, nuptias.
Quaerunt parentes per praeconem filiam;
Novus maritus conjuge amissâ dolet.
Quid esset actum postquam populo innotuit,
Omnes favorem comprobarunt Coelitum.

FABULA XIV.

Qualiter jactantia aliquando reprimatur.

AESOPUS ET VICTOR GYMNICUS.

Victorem forte gymnici certaminis
Jactantiorem quum vidisset Aesopus,
Interrogavit an plus adversarius
Valuisset ejus? Ille: ne istud dixeris;
Multo fuere vires majores meae.
Quod, inquit, ergo, stulte, meruisti decus,
Minus valentem si vicisti fortior?
Ferendus esses, forte si te diceres
Superasse, qui fuisset melior viribus.

FABULA XV.

Quod saepe ingenia calamitate intercidant.

Asinus ad Lyram.

Asinus jacentem vidit in prato lyram,
Accessit, et tentavit chordas ungulâ;
Sonuere tactae; Bella res, mehercules,
Male cessit, inquit, artis quia sum nescius;
Si reperisset aliquis hanc prudentior,
Divinis aures oblectasset cantibus.
Sic saepe ingenia calamitate intercidunt.

FABULA XVI.

Quam noceat saepè verum dicere.

AEsopus et Domina.

AEsopus turpi quum serviret Feminae,
Quae se expingendo totum intricabat diem,
Vestem, uniones, aurum, argentum comparans,
Nec inveniebat digito qui se tangeret:
Licetne paucis? inquit; dicas: censeo,
Quidvis efficies, cultum si deposueris.
Adeòne per me videor tibi meliuscula?
Imo, nisi dederis, sponda cessavit tua.
At non cessabunt latera, respondet, tua;
Et objurgari jussit servum garrulum.
Armillam tollit paullo post argenteam;
Quam non apparere ut dictum est Mulieri,
Furore plena vocat omnes, et verbera
Proponit gravia, verum si non dixerint;
Aliis minare, inquit, me non fallis quidem;

Flagris sum caesus, verum quia dixi modo.

FABULA XVII.

Faciendum prius periculum,
quam alienae te fidei committas.

Scrofa et Lupus.

Premente partu Scrofa quum gemeret jacens,
Accurrit Lupus, et obstetricis partibus
Se posse fungi dixit, promittens opem;
Quae vero nosset pecoris fraudes improbi,
Suspectum officium repudiavit malefici;
Et, satis est, inquit, si recedas longius;
Quod si perfidiae se commisisset Lupi,
Pari dolore fata deflêsset sua.

FABULA XVIII.

Nimiam severitatem saepe in periculum ducere.

Gallus et Feles lecticarii.

Feles habebat Gallus lecticarios;
Hunc gloriose Vulpes ut vidit vehi,
Sic est loquuta: moneo, praecaveas dolum;
Istorum vultus namque si consideras,
Praedam portare judices, non sarcinam.
Postquam esurire coepit societas fera,
Discerpsit Dominum, et fecit partes facinoris.

FABULA XIX.

Non esse malo addendum malum.

AEsopus et Servus profugus.

Servus profugiens Dominum naturae asperae,
AEsopo occurrit, notus e vicinia:
Quid tu confusus? — Dicam tibi clare, Pater;
Hoc namque es dignus appellari nomine,
Tutò querela quia apud te deponitur.
Plagae supersunt, desunt numquam verbera;
Subinde ad vilem mittor servitudinem;
Domi si coenat, totis persto noctibus;
Sin est vocatus, dego ad lucem in semita;
Emerui libertatem; canus servio;
Ullius essem culpae si mihi conscius,
AEquo animo ferrem. Numquam sum factus satur,
Et super, infelix! saevum patior Dominum.
Has propter caussas, et quas longum est promere,
Abire destinavi, quo tulerint pedes.

Ergo, inquit, audi; quum mali nil feceris,
Haec experiris, ut refers, incommoda?
Quid si peccâris? quae te passurum putas?
Tali consilio est a fugâ deterritus.

FABULA XX.

Ferendum aequo esse animo quidquid acciderit.

EQUUS CIRCENSIS IN PISTRINUM VENUMDATUS.

Equum e quadrigâ, multis palmis nobilem,
Abegit quidam, et in pistrinum vendidit.
Productus ad bibendum quum foret a molis,
In circum aequales ire conspexit suos,
Ut grata ludis redderent certamina;
Lacrymis obortis: ite felices, ait;
Celebrate sine me, cursu solemnem diem;
Ego quò scelesta furis attraxit manus,
Ibi sorte tristi fata deflebo mea.

FABULA XXI.

Famem acuere ingenium.

Ursus et Canceres.

Si quando in silvis Urso desunt copiae,
Scopulosum ad litus currit, et prendens petram,
Pilosa crura sensim demittit vado;
Quorum inter villos simul haeserunt Canceres,
In terram arripiens, excutit praedam maris,
Escâque fruitur passim collectâ vafer.
Ergo etiam stultis acuit ingenium fames.

FABULA XXII.

Verbis saepenumero decipi homines solere.

Viator et Corvus.

Quidam per agros devium carpens iter,
AVE, exaudivit; et moratus paullulum,
Adesse ut vidit neminem, caepit gradum.
Iterum salutat idem ex occulto sonus;
Voce hospitali confirmatus restitit,
Ut, quisquis esset, par officium reciperet.
Quum circumspectans errore haesisset diu,
Et perdidisset tempus aliquod, illico
Ostendit sese Corvus, et supervolans:
AVE usque ingessit. Tum se lusum intelligens;
At male tibi sit, inquit, ales pessime,
Qui festinantis sic detinuisti pedes.

FABULA XXIII.

Ubi deficiunt vires astu utendum.

Serpens et Lacerta.

Serpens Lacertam forte adversam prenderat,
Quam devorare patulâ quum vellet gulâ,
Arripuit illa propè jacentem surculum;
Et pertinaci morsu transversam tenens,
Avidum solerti rictum fraenavit morâ.
Praedam dimisit ore Serpens irritam.

FABULA XXIV.

Multos tutè victuros, si saluti opes posthaberent.

Fiber et Venator.

Canes effugere quum jam non possit Fiber,
Graeci loquaces quem dixerunt Castorem,
Et indiderunt bestiae nomen Dei ,
. . . i qui jactant se verborum copiâ ;
Abripere morsu fertur testiculos sibi,
Quia propter illos sentiat se se peti;
Divinâ quod ratione fieri non negem.
Venator namque simul invenit remedium ;
Omittit ipsum persequi, et vocat canes.
Hoc si praestare possent homines, ut suo
Vellent carere, tuti posthac viverent.
Haud quisquam insidias nudo facit corpori.

FABULA XXV.

Multos fortibus cedere, lacessere debiles.

Cornix et Ovis.

Odiosa Cornix super Ovem consederat,
Quam dorso quum tulisset invita, et diu,
Id, inquit, si dentato fecisses cani,
Paenas dedisses. Illa contrà pessima:
Despicio inermes equidem, et cedo fortibus.
Scio quos lacessam, queis dolosa blandiar;
Ideo senectam tot per annos prorogo.

FABULA XXVI.

Multos verbis esse blandos, pectore vero infideles.

Lepus et Bubulcus.

Cum Venatorem celeri pede fugeret Lepus,
Et a Bubulco visus veprem irreperet:
Per Superos oro, perque spes omnes tuas,
Ne me indices, Bubulce; nihil unquam mali
Huic agro feci; et Rusticus: ne timueris;
Late securus. Jamque Venator sequens:
Quaeso, Bubulce, numquid hûc venit Lepus?
Venit; sed abiit hâc ad laevam; et dexteram
Demonstrat nutu partem. Venator citus
Non intellexit, seque e conspectu abstulit.
Tunc sic Bubulcus: Ecquid est gratum tibi,
Quod te celavi? Linguae prorsus non nego
Habere, atque agere maximas me gratias;
Verum oculis ut priveris opto perfidis.

FABULA XXVII.

Nullum esse maledictum gravius conscientiâ.

SERVUS ET DOMINUS.

Quum servus . n . . . . m . . . .
Uxorem Domini . . . . . puisset sui;
Idque ille sciret . . . m circumstantibus:
Places tibi, inquit? . . . non debes, places.
Sed non impunè, quia . . debes non places.

FABULA XXVIII.

Non praeteritam esse fortunam, sed praesentem spectandam.

Papilio et Vespa.

Papilio Vespam pr . . . . . . videns:
O sortem iniquam, ait . . . .
Quorum ex re . . . .
Ego loquens . . . . fortis praeliis,
Arte omni princeps anteà qualis fui!
En cuncta levitas putris et volatilis.
Tu qui fuisti mulus clitellarius,
Quemcumque visum est laedis, fixo aculeo.
At Vespa dignam moribus vocem edidit:
Non qui fuerimus, sed qui nunc simus vide.

FABULA XXIX.

Multa esse jucunda, quae tamen sint incommoda.

Meretrix et Juvenis.

Quum blandiretur Juveni Meretrix perfida;
Et ille laesus multis saepe injuriis,
T . . . . et s . s . f . . . eri :
S . . inf. . . . . licet
Contendant, ego te plurimi facio tamen.
Juvenis recordans quoties deceptus foret;
Lubenter, inquit, mea lux, hanc vocem audio,
Non quod fidelis, sed quod jucunda es mihi.

FABULA XXX.

Non esse pravis hominibus adhibendam fidem

Terraneola et Vulpes.

Avis, quam dicunt Terraneolam rustici,
In terrâ nidum quia componit scilicet,
Forte occucurrit improbae Vulpeculae;
Quâ visà, pennis altius se sustulit.
Salve, inquit, illa; cur me fugisti, obsecro?
Quasi non abundè sit mihi in prato cibus,
Grylli, scarabaei, locustarum copia!
Non est quod metuas, rogo; te multum diligo
Propter tam sanctos mores et vitam probam.
Respondit contra: Tu quidem bene praedicas;
Non s . . . p . . . p . . . tibi; sed sum sub dio,
Quin seq . . . et . . . tibi . . committo meam.

EPILOGUS

De iis qui legunt libellum.

POETA.

Hoc qualecumque est, Musa quod ludit mea,
Nequitia pariter laudat, et Frugalitas;
Sed haec simpliciter; illa tacitè irascitur.

Explicit feliciter.

EXCERPTA

EX COMMENTARIIS ~~JOANNIS~~ Cataldi JANNELLII

ET EX SCHOLIIS SIMBOLISQUE JOANNIS ANTONII CASSITTI

PER ALOYSIUM PORTIRELLIUM

IN GYMNASIO BRAYDENSI

ARTIS POETICAE PROFESSOREM.

FABULA I.

V. 1. *Utilius etc.* Improbus fuit Phaedrus in fabulis suis, ideoque dicax a Martiali appellatus. Neque aliud plane egit per apologos, nisi ut principes, aliosque potentiores, adscito mythicae sapientiae velamento, proscinderet. Hic ergo in Cajum Caligulam, cujus mores opponuntur singulis Pythiae monitis, quique monitori Macroni, quae Pythia, non obtemperavit, Phaedrum invehere putat Cassittus.

V. 3. *Quid ó.* In Codice *Qu.d*. Hoc loco, notat Jannellius, scriptum fuisse videtur *quid o*. At quidnam sibi vult istud *o*, si particula esset vocantis aut appellantis? Fortasse *o* scriptum fuit pro *modo*, et versiculus ad metrum et sententiam procederet. Cassittus edidit *Quaeso id. Sacratae etc.*, atque Virgilii versum 357, Aen. III. in medium profert:

His vatem aggredior dictis, ac TALIA QUAESO.

V. 6. *Voces resolvit acta.* In Codice *V...s ..s. lvit .cta.*

Pythia. In Codice *Phyton*, verbum dubio procul corruptum.

V. 7. *Docetque.* Sic Jannellius, In Codice *D.......* Cassittus supplevit *Discuntque.*

V. 8. *Pietatem.* In Codice *P...atem.*

V. 9. *Patriam.* In Codice *P....am.*

V. 10. *Ferro.* In Codice *ferroque.* Hinc versiculus est syllabâ longior, nisi quis mallet in quintâ sede creticum seu amphibracum probare, quem negligentiores tantummodo Comicorum jambi ferunt. Sic notat Jannellius, qui versiculum hoc modo proponit emendatum: *Defendite; armis hostem et ferro pellite.*

V. 13. *Cohibete.* In Codice *castigate.*

FABULA II.

V. 1. *Arbitrio etc.* In Caligulam insectatur. Svetonius quoque narrat Caligulam Jovem ipsum irrisisse, ipsique minatum esse, templaque despoliasse. Cassittus. In Codice versiculus sic deletus est, ut legi tantum possit *A....... si . a . . r . f.... sset meo.*

V. 3. *Nam cuncta nobis.* In Codice *Na....... nobis.* Cassittus supplet *Namque illa.* Jannellius *Nam cuncta*, vel *Nam cetera*; sed ex quibusdam vestigiis in ipso Codice illud elegit.

V. 4. *Quaecunque etc.* In Codice *Q..... que Fortuna indulgens animali dedit.* Optime suppletur legendo *Quaecunque.* Cum tamen versiculus syllabâ longior; ideo trajectio: *Quaecunque indulgens Fortuna animali dedit.* Sin vero legendum: *Quaeque Fortuna indulgens animali dedit.*

Fortuna indulgens. Quomodo, quis inquiet, ad brutorum animantium formationem arcessitur Fortuna, si omnium parens Natura et Jupiter homines finxisse paullo inferius dicitur? Veteres de rerum atque animantium ortu et origine in tam varias et discrepantes, tam obscuras et incertas opiniones abierunt, ut vix eae numerari et plerumque intelligi nullo pacto queant. Quidni Phaedrus brutorum animantium formationem Fortunae tribuere potuit? Fortuna autem Graecis et Romanis Dearum maxima et rerum domina habebatur. Quin vero sententia Phaedri clarior elucebit, si ex Sapientiorum Philosophiâ eam repetamus. Hi enim Fortunam, Naturam, et Deum unum idemque esse praedicabant, atque unius rei nomina. Deum ergo Fortunam hic nullâ aliâ ratione appellavit Phaedrus, nisi ut egregia illa et sublimis retractatio majus pondus haberet, et luculentius appareret. Natura enim quae hominibus negasset,

quae abunde largiri animalibus visa fuisset, vocabulo aliquantum invidioso notanda erat, et Fortuna quidem temere et imprudenter agere dicebatur. Sic Graecus Sinon apud Virgilium Aen. lib. II. v. 79. se non a Naturâ vel Deo, sed a Fortunâ fictum dicit:

. . . . *Nec si miserum Fortuna Sinonem*

Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Haec omnia abundans eruditionibus variis et pluribus Jannellius.

V. 5. *Elephantis vires.* In Codice *El . . ha . . . . vires.* Cassittus edidit *Elephanti*; Jannellius putat esse supplendum genitivo *Elephantis.*

V. 6. *Cornicis aevum.* Et Cassittus, et Jannellius Codicem inspexere. Cassittus testatur vidisse *C . r . . cis*; Jannellius *C . rpus . .* Cassittus ergo edidit *Cornicis*; Jannellius legendum putavit *Corpus in aevum*, vel *Corpus ad aevum*; sed animadvertit primum si trochaeum habet, rationem carminis invertere, si dactylum, versiculum breviorem facere. Trajectionem ergo proponit *In aevum corpus*, vel aliam lectionem *Phoenicis aevum.* Postremo vero ipse quoque re maturius perpensâ fatetur potius legendum esse *Cornicis aevum*: primum quia propius ad Codicis lectionem accedit: praeterea quia verisimile non est Phaedrum exemplum arcessere voluisse a fabuloso prorsus animali, quod purum putumque Aegyptium Hieroglyphicum fuit, et nuda pictura Symbolica.

Gloriam, idest gloriationem, annotat Cassittus. Superbi dicuntur tauri a Virgilio Geor. III. 217. 226.

V. 7. *Equi velocis.* Codex habet *Equ . v . . . cis.* Hoc autem loco mansuetudo non est ea animalis dos, qua labores, flagellum, verbera tacite fert et patienter, qua irâ minime exardescit, nec praeceps in adversa et obstantia ruit; sed ea potius proprietas, qua facile se usui praebet, facile ad manum accedit, facile regitur atque instruitur. Nam *mansuetus* est omnino *manu suetus*, qui scilicet *manu tractari* se sinit. Haec autem dos cui magis ex animantibus brutis insit quam equo nequaquam video. Nam nullum apparet, quod

eà corporis vi, eà alacritate et solertià tam facile et lubenter homini docile et obediens fiat. Jannellius.

V. 10. *Qui.* Ita plane in Codice, et quidem non male. Ego tamen nescio an rectius legi possit *quia.* Tum enim egregia adesset ratio et caussa, qua merito Jupiter imprudentem hominum audaciam rideret. Jannellius.

Hominibus. In Codice reverà legitur *hominibus.* Sic versiculus in quintà sede proceleusmaticum habet pedem, qui ex quatuor syllabis brevibus constat. Jannellius pluribus Phaedri ipsius exemplis, ut Fab. 2 lib. III. v. 4, Fab. 15 v. 12, Fab. 10 lib. IV. v. 3, Fab. 23 v. 17, eo pede non exturbari Jambici carminis metrum probat. Et quidem jure. Lex enim carminis est, ut in eo recipiantur quotquot pedes eandem syllabarum quantitatem habent ac spondaeus. Inter hos autem proceleusmaticus est. Cassittus vero edidit *homini*, et in exemplis Phaedri a Jannellio relatis varias inducit lectiones, aut verborum trajectiones, ut suae opituletur sententiae, quin tamen certa variarum lectionum, verborumque trajectionum afferat testimonia.

V. 14. *Mortalitas*, idest imposita moriendi conditio, ac vitae brevitas, ut optime interpretatur Cassittus.

FABULA III.

V. 1. *Vulpem etc.* Sub Vulpis nomine Tiberium, sub simii Comitatum Palatinum avaritià notat. Cassittus.

Simius. In Codice legere est tantum *Sim*... Latine quidem dicitur *Simia*, et *Simius*; animadvertendum tamen est Phaedrum, quoties vocem usurpat, in hoc genere usurpare. Jannellius.

V. 5. *Quam partem.* In Codice legitur: *Quam tibi impartiar parvam quamvis pa.....* Ex vestigiis reliquarum etiam literarum satis clare eruitur, legendum esse *partem.* Sed vox spondaeum habet, ideoque versiculus claudi eâ nequit. Quamobrem quum lenissima emendatio sit trajectio verborum, senarius legendus ut hic est excusus cum Cassitto, vel *Quam parvam quamvis partem impartiar tibi*, cum Jannellio.

FABULA IV.

V. 1. *Magni etc.* In Cassium Chaeream putat Cassittus Phaedrum hanc Fabulam scripsisse; hinc omnia quae hic subdimus notat: Talem cinaedum ingentem in domo Quartillae describit Petronius. Jannellius emendat *vesci corporis*, quia cinaedos graciles esse oportet. Deinde ex Plin. VII. 20 Tritanum hunc Pompeii militem vocatum docet. Atqui Plinius narrat gladiatorem fuisse Tritanum vesco quidem corpore, sed eximiis viribus. Addit filium Tritani illius gladiatoris sub Pompeio militasse, nec vasto an vesco fuerit corpore tradit.

V. 2. *Fracte.* Vox fracta plenae, integrae ac virili opponitur. Ea est, quae mulierculis et puerulis delicato quodam flexu ducitur, atque hemitonio flebili saepe interciditur. Cassittus.

Molliter. Sic Jannellius. In Codice *mol......* Cassittus proponit *mollius*

V. 4. *Jumentis.* Cassittus edidit *venientes*, atque sic explicat: Insidias nocte struens mulos avertit cum auro venientes. Hinc Jannellium, qui edidit *jumentis*, leviter reprehendit.

V. 5. *Pondere.* In Codice *po......*

V. 6. *Distulit.* In Codice *dissipat.*

V. 7. *Praetorium.* Cave tabernaculum accipias. Conventum hic significat coram duce. Cassittus.

V. 8. *Commilito.* Blanda compellatio. *Julius Caesar nec milites pro concione, sed blandiori nomine commilitones adpellabat.* Suet. Jul. c. 67. Cassittus.

V. 10. *Sputum.* Manus etiam oculis supponebant, et imprecabantur ut exciderent si quid mentiri contingeret. Vide Propertium I. Eleg. 15 v. 33. Cassittus.

Dissipat. Dissipare est a veteri sipare, hoc est, jacere, disjicere. Cassittus.

V. 11. *Exstillescant.* Castrense et rusticanum verbum, quod facete Pompeius irridet v. 32. Cassittus.

V. 12. *Vir animi simplicis.* Pompeius, de quo Cicero ad Fam. Ep. I. lib. VIII. *Neque tantum valet ingenio, ut non adpareat quid cupit.*

V. 13. *Inanes suspiciones*, supplet Cassittus. In Codice *I....... s.as..o...* Jannellius ergo legit *Id castrorum dedecus*; omniaque latina esse, atque metrum sententiamque servare probissime ostendit.

V. 14. *Nec cadere in illum.* In Codice *Nec ..de.......um.*

V. 15. *Haec inter castra accessit.* In Codice .... *ars .... rcessit.* Cassittus legit *Haec inter, castra accessit.* Jannellius haud absurde conjici posse ait lectionem Codicis fuisse *Fortuito mars intercessit*, quum *mars* pro pugnâ, ac praelio apte sumatur. At versiculus syllabâ saltem longior videtur; hinc lectionem proponit *Bellum forte intercessit*; quum *bellum* pro praelio ac pugnâ latine quidem usurpetur.

Et fidens manu. In Codice *et manu fidens*; quod quidem notat etiam Cassittus. Hac tamen verborum trajectione vitatur spondaeus quo in sextâ sede versiculus laborat.

V. 16. *Romanos armis.* Sic Cassittus. In Codice ....*s.* Jannellius ex aliquibus Codicis ipsius vestigiis non temere credit esse legendum *Voce ferus nostros*, vel *Voce ferâ nostros;* cum *nostri* dicantur quicumque ad nos pertinent, potissimum vero quum externis opponuntur.

V. 17. *Sibi quisque.* Sic legit Cassittus. In Codice . . *bi* . . . *sque.*

Primi mussant duces. Sententiae et versui subvenitur si ante *primi* particulam *et* legatur, quae excidisse Jannellio videtur. Subveniremus versui, inquit Cassittus, si pro *mussant* legamus *mussitant;* sed praestat secundam in *sibi* producere.

V. 18. *Tamen Cinaedus.* Sic Cassittus edidit. In Codice . . . . . . *cinaedus.* Jannellius legere mallet: *Tamen is*, *cinaedus*; cum *is* eandem habeat potestatem ac *ille.*

V. 19. *Adit sedentem.* In Codice . . . . . *sedentem.* Cassittus supplet *Spernit sedentem*; Jannellius *Adiit sedentem.* Noster Fabularum excriptor cur *Adit?*

V. 20. *Et voce molli.* In Codice . . *voce molli.*

Enim vero ejici. Sic Cassittus. In Codice *Enim vero eiici virum.* Hinc versiculus est toto pede longior. Quare Jannellius ait *virum* ex Glossâ dubio procul irrepsisse; praesertim cum Cinaedi dici non possint *viri* (vir enim quis dicitur ob fortitudinem corporis nec non ob animi virtutes) et facile subintelligatur subjectum, et elegantius ob iram imperantis reticeatur.

V. 21. *Ut in re atroci, Magnus.* In Codice *U*. . *n re atroci Magnus.* Cassittus edidit *Virum irâ atroci Magnus.* Sic verbum *virum* antecedentis versiculi quod Jannellius omnino expungit, Cassittus huc transvehit. At Jannellius exploratam esse ait lectionem *Ut in re atroci, Magnus.*

V. 24. *Levis.* Jannellius in Codice sic legit. Cassittus in ipso Codice testatur bis se legisse *jocus.*

V. 28. *Hostis.* Sic Cassittus edidit, sic Jannellius optime servari metrum fatetur. In Codice tamen legitur *hosti.*

V. 30. *Miles.* In Codice *militis* nec eleganter nec satis latine.

V. 33. *Turpe illud etc.* Cassittus supplet *Turpe illud reddens quod cinaedus fecerat.* Jannellius proponit lectionem *Turpe illud imitans, is quod ante fecerat;* ubi in Codice videre est tantum *Turpe illud* . . . . . *ns* . . . .

V. 34. *Sarcinas furto meas.* Haec Cassitti lectio. In Codice ....
me.. Jannellius, prout ferunt nonnulla Codicis vestigia, putat legendum *e sarcinis opes meas.*

FABULA V.

V. 1. *Mercurium etc.* Livia barbatum vidit Tiberium, hoc est, potentem. Julia moecha omnia cupiens merito irrisa nihil obtinuit. Idipsum in hac fabulâ Phaedrum adumbrare autumat Cassittus.

In Codice *Mercurium hospitio mulieres duae.* Hinc integer pes desideratur nec quia aliquod verbum humore aliove casu exciderit, sed quod scriptum non fuerit. Sententia tamen egregie constat. Jannellius arbitratur jacturam reparari posse, si particula *quondam*, vel *olim* sic recipiatur, ut sit versiculus *Mercurius quondam hospitio Mulieres duae*, vel *Mercurium hospitio quondam etc.* Cassittus vero edidit *Mercurium hospitio Mulieres olim duae.*

V. 5. *Parem.* In Codice *par*...

V. 8. *Rogans.* In Codice *ro*.....

V. 10. *Tetigerit.* In Codice *tetig*.....

V. 13. *Id quum etc.* Si Jannellio credimus, in Codice versiculus sic legitur: *Id quum forte meretrix ridet validius*; hinc syllabâ est truncus. Quamobrem emendatione satis probatâ *ridet* in *rideret* Jannellius ipse producit; cum praesertim verbum *replevit*, quod legere est in versiculo sequenti, videatur potius *rideret*, quam *ridet* suscipere. Cassittus vero sic versiculus edidit ut verbum *Id* esset in Codice mancum, atque hoc modo supplevit et legit: *Ideo quum forte meretrix ridet validius.* At nescio quâ nam de caussâ qui Fabulas ad hanc nostram editionem excripsit, omiserit adverbium *forte.*

V. 14. *Nares replevit.* In Codice *N*.... *reple*....

V. 15. *Emungere igitur se volens, prendit manu.* In Codice *E . . ngere . g . . . . s . . . . . ns . . . ndit manu.*

V. 16. *Nasi longitudinem.* In Codice *nasi . . . gitudinem.*

V. 17. *Et aliam.* In Codice *Et al...* Et Jannellius et Cassittus legunt *alium*, non *aliam.* Revera Meretrix barbatum ridet infantem, non infantis barbati matrem. Videat Fabularum excriptor cur hanc mutationem induxerit.

FABULA VI.

V. 1. *Olim etc.* Clavis Cassittiana in Asellium Sabinum hanc Fabulam jactat. *Seculi figulus novi.* In Codice *Seculi novi figulus.* Verborum trajectionem Jannellius fecit, ne in quintâ sede offenderet amphibrachus, pes ex primâ et ultimâ brevibus mediâ productâ, quem politiores jambi rejiciunt. Nemo autem non videt seculo hic exprimi genus humanum.

V. 2. *Cretâ* edidit Jannellius, *curâ* Cassittus, qui ait Jannellium ridicule edidisse *cretâ*, fortasse quia *curâ*, non *cretâ* in Codice legatur.

V. 4. *Nuntio.* Hac voce et res significari potest, quae nuntiatur, et qui eam nuntiat. Plautus Stich. II. 11: *Mercurius, Jovis qui* Nuntius *perhibetur, nunquam aeque patri suo* nuntium *lepidum attulit, quam ego meae herae nuntiabo.* Hic vero rectius sumitur pro eo quod nuntiatur, quam pro eo qui nuntiat. Tum enim accersimus, quum non per nos ipsos, sed per aliam personam, vel etiam per epistolas advocamus. Cicero ad Attic. I. Ep. 18 *Te expectamus, te desideramus, te etiam accersimus.* Praeterea vox in Codice scripta est minusculâ priore literâ *n.* Jannellius.

V. 12. *Redit Magister, festinante quo Dolus.* Sic legendum putat Jannellius eo quod versiculus ut legitur in Codice *Redit Magister, quo festinante Dolus* trochaeum in quintâ sede habet, qui rationem

carminis corrumpit; atque opportune animadvertit *redit* scriptum esse fortasse pro *redit.* Cetera sane omnia verba in praeterito sunt tempore usurpata. Cassittus vero edidit *Rediit Magister; qua festinans re Dolus.* Prometheus, inquit, plerumque non festinabat. Id autem testimonio Fabulae 14. libri IV. asserere sibi fas esse putat. Revera de Prometheo loquens in eà Fabulà Phaedrus ait: *Sero domum est reversus titubanti pede;* sero sed quia ad coenam invitatus a Libero, atque multo nectare venas inrigatus. Immo discipulus, addit Cassittus, festinabat ex metu, vel etiam festinans potuit adpellari, quia in opere festinaverat. Valida haec essent, si dubia esset lectio Codicis, si omnimode probatum esset, Prometheum festinare non posse.

V. 13. *In suo sedit loco.* Sellularii opifices, ad rem notat Fabularum inventor Cassittus, in fabrili officinà suo quisque loco sellam habebant.

V. 21. *Mendacium etc.* In Codice:

Mendacium appellatum est, quod ne ....
Pedes habere f... le ipse c.. s. n....

Cassittus hoc modo supplet:

Mendacium adpellatum est; quod ne cogites
Pedes habere, futile ipse conspicis;

atque *futile* explicat quod stare non potest. Jannellius, ubi Cassittus *ne cogites*, legendum esse putat *neget* vel *negat*; quod etiam ex vestigiis aliquo pacto colligi asserit; ubi *futile*, *facile*; ubi *conspicis*, *consensio.* Fatetur tamen et ipse neque sententiam rectam esse, neque justam syntaxim; immo vero utrumque versiculum claudicare. Plures deinde emendationes proponit, quarum omnium, ut pote quae propius ad Codicis fidem accedit, illa est:

Mendacium appellatum est; quod negat modo
Pedes habere et ipsa hominum consensio.

Postremo optime animadvertit totam Fabellae solertiam in verbo *Mendacium* sitam esse. *Mendacium* est a *mendâ*, quod exploratum

est fieri a *minus.* Adest autem *menda* ubi aliquid ad integritatem desideratur. Mendae sunt brachium brevius, pes decurtatus, et his similia. Quamobrem priscis Romanis *mendacium* fuit, quidquid veluti truncum, mutilum, decurtatum appareret, et propterea fidem etiam, ingenium, carmen, orationem, quae ad normam exacta non essent, cum Graecis pariter *claudicantia* dixerunt. Praeterea gravissimi momenti est ad hanc rem veteres et recentes populos, quae falsa et parum vera visa fuerint, ea non recte ambulare, non bene incedere, pedibus suis non consistere vulgato adagio praedicare. Hinc sententia propositae lectionis esset hujusmodi: Tum falsum simulacrum quod mendosum et pedibus carens esset, dictum est *mendacium, quod mendacium* etiam modo homines veluti originis et fati ejus memores non habere ajunt pedes, quibus, ut veritas, decenter incedat.

FABULA VII.

V. 1. *Ixion etc.* In Tiberium expertum fortunae vices, miserum, avarum, luxuriae deditum hanc Fabulam conscriptam esse Cassittus credit. Versiculus hic primus sic in Codice: *Ixion qui versari . actat . . . o . . .* Cassittus supplevit: *Ixion qui versari narratur rotâ.* Legerem *Ixion qui versari jactatur rotâ,* inquit Jannellius, quod ex vestigiis quoque tamquam certum haberi potest. Neque hic *jactatur* idem est ac *fertur, dicitur,* quod ab re esset, quum eo pacto fides narrationi eleveretur, et pretium Fabellae concideret. Clare autem ex postremis versiculis patet aliam ac adversam fuisse Auctoris mentem. Quum ergo in altero versiculo *Jactor* sit *agitor, vexor, huc illuc impellor,* quae prima et genuina est vocis significatio, nec non exploratum videatur comparationem quamdam sententiarum hic institui, dubitari non posse videtur, quin *jactor* eâdem potestate in primo ver-

siculo sit sumendum. Quamobrem satius legitur: *Ixion qui versatus jactatur rotâ*, vel *Ixion qui versatâ jactatur rotâ.*

V. 2. *Volubilem Fortunam* edidit Cassittus, *volubilem Fortunâ* scriptum esse in Codice testatur Jannellius, qui ad rem notat, *volubilem* hic esse hominem *levem, mutabilem, inconstantem*, qui revera variis fortunae casibus versatur ac agitur. Stoici quidem, ex quorum placitis loqui Phaedrus videtur, nullam potestatem habere praedicabant Fortunam in constantes, sed quam maximam in leves. Fatetur tamen Jannellius nullum se esse nactum exemplum, quo *volubilis* pro levi et inconstanti homine absolute usurpetur.

V. 3. *Agens.* In Codice *ag....*

V. 5. *Irrito* edidit Jannellius, *improbo* Cassittus, quin neuter syllabam notaverit de hac lectionis varietate.

V. 6. *Sine fine esse miserias.* In Codice deest verbum esse, quod Cassittus supplevit. Jannellius vero haec quae sequuntur addit. Auctor certas poenas, certosque homines in Tartaro cruciatos exhibens, certa etiam vitia, certumque hominum genus, ad quod singula spectarent, expressisse hoc loco videtur. Et quidem in Ixione volubiles, in Tantalo avaros, in Belidibus luxoriosos, in Tityo potentes et divites notavit. Quamobrem, quum ab Autore etiam in Sisypho singulare hominum genus, et peculiare vitium notandum fuisse videatur, quum qui de Sisypho egerunt, potestatis ac imperii adfectatores atque ambitiosos homines in eo cognoverint, loco *hominum* legerem *ambitus*, scilicet *Ostendit ambitus sine fine miserias.*

V. 7. *Sitit.* In Codice *si....*

V. 10. *Scelestae.* Jannellius edidit *scelestas;* quâ de re eum carpit Cassittus.

V. 11. *Imo etc.* Cassittus sic explicat: Perfluet quidquid dederis imo, scilicet fundo, luxuriae. Aliter vero Jannellius: Ex luxuriae fundo, ut ex pertusis Danaidum doliis aqua, efluet quidquid immiseris. *Perfluit* autem legit Cassittus, *perfluet* Jannellius.

V. 15. *Quo quis.* In Codice *Quo quisque.* Uterque tamen editor ad emendationem consentit.

V. 18. *Erraret.* Fortasse, inquit Cassittus, *ne erraret.* Rudes enim his terriculis in rectà semità continebantur; sapientes penitius rem ipsam intelligebant, purique manebant sceleris, non tamen ob fabulas, sed ne tormenta pectoris paterentur.

FABULA VIII.

V. 1. *Pater familias etc.* In Cajum qui sub Tiberio patrefamilias ferociam suam, licet compressam, praemonstrabat. Cassittus.

V. 4. *Fervidam adolescentiam.* Sic, ut est in Codice, legit Jannellius. Cassittus vero ediderat *fervidà adolescentià*, atque explicat a saevo juvene per fervorem aetatis familiam fuisse exercitam, idest divexatam.

V. 5. *Breviter Seni.* Jannellius hanc profert Codicis lectionem. Cassittus ediderat *brevissime*, omisso *seni.*

V. 6. *Jungebat.* Codex habet *adjungebat*, quam lectionem sequuntur et Cassittus et Jannellius. Fabularum excriptor *adjungebat* mutavit in *jungebat.* At Cassittus ad rem afferebat testimonium Varronis, qui de Re Rust. Lib. I. c. 20 ait: *Tironem cum veterano bove adjungat.*

V. 9. *Timeas.* In Codice .... *as.*

V. 10. *Non ut labores jungo.* In Codice *Non ut l. b* .... Cassittus edidit *Non ut labores junxi*; hinc pro *junxi* emendationem *jungo* proponit. Jannellius putat esse legendum *Non ut labores facio*, eo quod verbum *facio* commode ex vestigiis sese prodeat.

V. 11. *Qui calce et cornu.* Sic supplet Jannellius, qui in Codice legit tantum ..... *ce* ..... *nu.* Cassittus ediderat *Vagus qui cornu.*

V. 12. *Sic tu ni gnutum.* Jannellius sic edit ad aurium judicium; fatetur

tamen Codicis vestigia *S .. tu .. si .. tum* lectionem indicare *Sic tu nisi natum*, quam Cassittus adscivit.

Retines in Codice; *detines* edidit Cassittus.

V. 13. *Et saevum ingenium.* Hoc modo supplet Cassittus. In Codice *E .....*, *.. genium.* Jannellius ait se legere malle *Ejusque ingenium.*

V. 14. *Vide ne.* In Codice *.. de ne.*

FABULA IX.

V. 1. *Simulata etc.* Primi duo versiculi hujus Fabulae a Cassitto sic editi sunt, ut integram Fabellam efficiant, atque Tiberium simulatorem insectentur. Jannellius vero ait hos eosdem versiculos ad promythium vel epimythium alicujus Fabellae pertinuisse videri, neque male ad eam quae sexta est in hac nostrà editione, referri posse.

V. 3. *Pastor etc.* Dominus Tiberius, Pastor Sejanus, qui imminuit potentiam Agrippinae, quae Capella. Sic explicat Cassittus. Ceterum haec Fabella etiam graece inter eas occurrit, quae Aesopo tribuuntur, ut notat Jannellius.

FABULA X.

V. 1. *Quum castitàtem etc.* Sub Junone latet Livia; sub Venere Julia. Gallina Lesbidem significat, hoc est, tribadem, frictricem. Virilem animum Liviae describunt Tacitus Ann. IV. 57, et Suetonius Tib. c. 50. Castitatis gloriam adfectavit, non tamen consequuta, ut liquet ex Tacito Ann. V. 1 et 2. Itaque a Julia irrisa est. Cassittus.

V. 2. *Jucunditatis.* In Codice *.... nditatis.*

Repulit. In Codice *repellit*, quod corrumpit metrum. Nam, ut animadvertit Jannellius, vel pedem vitiosum in versiculo inducit, vel eum facit syllabâ longiorem.

V. 3. *Nullamque.* In Codice *N..l..que.*

V. 4. *Interrogasse.* In Codice .... *rrogasse.*

V. 5. *Dic sodes.* In Codice ... *sodes.*

V. 6. *Respondit.* In Codice *R....ndit.*

V. 7. *Sed ut.* In Codice *S...t.*

V. 12. *Mi.* Sic edidit Cassittus. In Codice *mihi.* Jannellius haec notat: Ut versiculus hic recte pedibus constet necesse est, ut recipiatur proceleusmaticus vel in tertiâ vel in quartâ sede. Ego omnino mallem in tertiâ, ut una saltem caesura in versiculum inducatur.

V. 13. *Joco.* In Codice *jocos.* Sed, inquit Cassittus, non irrisit jocum Dea; risit ob jocum. Emendationem probat Jannellius, qui insuper ait jocos esse dicteria, seu dicta arguta, lepida, faceta, jucunda, ex Ciceronis ad Att. Epistolâ 13 lib. XIV. *Joca tua plena facetiarum.*

V. 14. *Demonstravit.* Sic edidit Cassittus. Jannellius vero legit in Codice *denotavit.*

FABULA XI.

V. 1. *Aesopo etc.* Caligula adfectavit gloriam ingenii, ut videre est in Suet. Cal. c. 34 et 53. Cassittus.

Mala. In Codice *ma...*

V. 4. *Superbior.* In Codice *superb....*

V. 6. *Confectus*, idest prostratus, ac pene occisus, ut optime explicat Cassittus. Phaedrus ipse Fab. 4 lib. I. inter vulgatas: *Morbo confectus gravi.*

FABULA XII.

V. 1. *Per aliquot annos etc.* In Liviam defuncti viri cultricem. Fuit enim impudica. Miles videtur Fusius Geminus. Vide Tacitum Ann. V. 2. Cassittus. Hanc Fabulam imitati sunt Petronius Arbiter, seu Canius Rufus in Satyra c. 110, Ioannes Sarisberiensis in Policratic. lib. VIII. c. 11, Romulus, quem edidit Rimicius, et Romulus alter, quem vulgavit Fridericus Nilantius, S. Evremontius (*Saint Evremond Oeuvres melées Tom. II.*), Ioannes Fontanus (*La Fontaine livr. II. n.* 30.), Franciscus Volterius (*Voltaire Romans, Zadig*) Petrus Jacobus Martellius in Comoedia, cui titulus *Che bei pazzi*, et alii. Praeterea Fabellam similem Aesopo attribuit Maximus Planudes.

V. 2. *Amisit.* In Codice *.misit.*

V. 3. *A quo divelli.* In Codice *. quo . . velli.* Attamen ait Jannellius Codicis vestigia *revelli* potius probare quam *divelli.*

V. 17. *Sed.* In Codice particula *et*, quae sane metrum et sententiam corrumpit.

V. 19. *Sensim impudicâ et uritur cupidine.* Haec prima Cassitti emendatio, qui et aliam deinde proposuit *Et uritur sensim impudens cupidine*, ac demum tertiam *Et uritur sensim improbus cupidine.* In Codice *Urit urque sensim impud . . . . . . cupid . . . .*

V. 20. *Mille caussas invenit.* In Codice *mille . . ussas . . . . . it.*

V. 21. *Illam saepius.* In Codice *. . . am saep . . . .*

V. 23. *Advenae.* Sic supplet Jannellius; *ad votum* Cassittus. In Codice *adv . . . .*

V. 24. *Animum copulâ.* In Codice *. . imum . . pula.*

V. 26. *Cruce.* In Codice *cr . . .*

V. 27. *Mulieri.* In Codice *mul* . . . . .

V. 28. *Timeas*, *ait.* In Codice *tim* . . . . . .

FABULA XIII.

V. 1. *Unam expetebant etc.* De imperio in Claudium nil tale cogitantem delato Phaedrum in hac Fabulà loqui putat Cassittus, qui hoc alio versiculo Fabulam ipsam incipit: *Fortuna interdum praeter spem hominibus favet;* quem Jannellius omittit, atque in Fabulae titulo solvit.

Unam expetebant Virginem. In Codice *Unâ expeteb* . . . *Vir* . . *sem.*

V. 2. *Locuples.* Animadverte producendam esse mediam hujus vocis syllabam, quo versiculi metrum constet.

V. 6. *Hos.* In Codice *Quos.*

Splendida. In Codice *splendidi.* Emendationem Cassittus et Jannellius adoptarunt, eo quod secus graviter peccaret versiculus, sive dactylus in sextâ sede, sive bacchius in quintâ agnoscatur.

V. 10. *Hymenaeus*, scilicet puer unus ingenuus patrimus et matrimus, habitu Hymenaei. Cassittus.

V. 12. *Referre.* Sic supplet Jannellius. In Codice enim legitur *ferre*, et totum versiculi metrum concidit. Cassittus tamen mallet legere *deferre.*

Portae, scilicet portae urbis, ubi locabantur vecturae. Hinc puto *asinariam* dictam Romae portam Coelimontanam, quia si a praedio Asiniorum contermino, ut somniant, accepisset nomen, *Asinia* potius audivisset. Cassittus.

V. 19. *Effusa etc.* Sic Cassittus supplet. In Codice *E . fusa* . . *ep* . *d* . *s* . . . . *d* . *s* . . *p* . . Jannellius lectionem affert *Effusa trepidos pulsat, et omnes dissipat.*

V. 20. *Petere praesidium fugâ.* In Codice *pet . r . praesi . iu . fug . .*

V. 21. *Proximè tectum subit.* Sic Cassittus legit. In Codice *p . . xim . . . . . . , s . b . . .* Jannellius loco *proximè* libentius legeret *proximum.*

V. 22. *Venientem indicat.* In Codice *veni . . . em . . . .*

V. 23. *Pulcram affirmant Virginem.* Sic legit Jannellius. In Codice *p . . c . . am . . ffi . . . .* Cassittus loco *affirmant* legerat *adspiciunt.*

V. 24. *Deinde.* In Codice . . . . *de.*

V. 27. *Gaudio.* Sic supplet Cassittus. In Codice *gaud . . . .* Jannellius ex vestigiis Codicis legendum proponit *gaudiis.*

V. 28. *Perficit.* In Codice *perf . . . . .* Ceterum in hoc verbo, ut acutae naris Cassittus apte notat, nequius aliquid latet. Arnobius enim lib. IV. haec habet: *Etiam Perfica una est e populo numinum, quae obscenas illas et luteas voluptates ad exitum perficit dulcedine inoffensâ procedentes.*

FABULA XIV.

V. 1. *Victorem fortem etc.* In Caligulam oratorem jactabundum hanc Fabulam interpretatur Cassittus. Ceterum in Codice legitur *Forte Victorem.* Verborum trajectionem Jannellius fecit, ne in primâ trochaeus offenderetur. At secunda in *forte*, reponit Cassittus, producitur Syllaba, neque opus trajectione.

V. 2. *Quum vidisset Aesopus.* Si hoc modo legatur, ut est in Codice, versiculus clauditur spondaeo, qui in istâ sede pestis est, ut ajunt, jamborum. Cassittus edidit *quum esse vidisset Sophus*; hinc aliam lectionem in medium affert *postquam vidisset Sophus.* Jannellius vel *quum vidisset vir Sophus*, vel potius *quum vidisset Phryx Sophus.*

V. 3. *An plus adversarius.* Sic Jannellius emendat Codicis lectionem *ampliusne adversarius*, dactylum vel creticum in sextâ habentem contra adsuetas carminis leges. Cassittus legit *amplis ne*, atque ad verbum *humeris* respicit, quod in subsequenti versiculo edit loco *ejus*; nam ampli humeri, adnotat ipse, vires pugilum ostendebant.

V. 4. *Valuisset ejus.* Sic emendat Jannellius, quod est in Codice *Valuisset suus.* Nam trochaeus offenditur, qui versiculum corrumpit. Praeterea *suus* ad Aesopum quoque referri posset, quod quidem ambiguitatem pareret. Ceterum vero *suus valuisset*, addit Jannellius, quum potissimum Codicis lectioni propius accederet, haud quaquam damnarem.

V. 9. *Superasse etc.* In Codice versiculus est: *Superasse, qui esset melior viribus*; ideoque integro pede truncus. Jannellius ergo loco *esset* legit *fuisset.* Cassittus versiculum sic emendavit: *Astu superasse, qui esset melior viribus;* atque scholium addit: Porro astus est ablatio poplitis, quam Theseum docuit Minerva, ut videre est apud Meursium in Theseo cap. 7 pag. 20.

FABULA XV.

V. 1. *Asinus etc.* In Eutychum hanc Fabulam explicat Cassittus.

V. 2. *Et tentavit.* In Codice deest particula *et*, quae tamen est interponenda ad sententiam, atque ad versiculi metrum.

V. 4. *Inquit* emendat Jannellius loco *ait* quod est in Codice. Nam versiculus pedibus suis haud constat, nisi in voce *quia* producatur secunda, quam Latini Poetae perpetuo corripuerunt.

FABULA XVI.

V. 1. *Aesopus etc.* In Liviam accipit hanc Fabulam Cassittus, qui hoc alio versiculo initium Fabulae ipsius facit: *Disce hic quam nocet saepe, verum dicere*; ita tamen ut *disce hic* verba sint quae in Codice deleta.

Turpi, idest deformi.

V. 2. *Diem.* In Codice *d*.... Cassittus legendum arbitratur *totam intricabat domum.*

V. 3. *Comparans.* In Codice *com*.... testatur legi Cassittus; *sum*.... Jannellius. Hinc alter supplet *comparans*, alter vero *sumeret.*

V. 6. *Deposueris.* Aesopus intelligit: Si deposito pignore, viros adpellaveris, hoc est, oblato mundo muliebri in mercedem admissariorum. Mulier contra abjiciendum cultum interpretatur. Cassittus.

V. 8. *Cessavit.* Sic in Codice. *Legerem cessabit*, inquit Jannellius. At cave emendes, reponit Cassittus. Summa enim elegantia est in Codicis lectione, ut quum dicimus *periisti, actum est.*

V. 9. *Latera*, scilicet flagellis scribenda.

Tua. Venustus sarcasmus ex desinentiâ simili. Cassittus.

V. 10. *Objurgari*, scilicet flagello. Scimus enim objurgare flagris, colaphis, ferulis dixisse latinos. Cassittus.

V. 11. *Armillam etc.* Sic emendat Cassittus. In Codice versiculus *Paullo post armillam tollit argenteam*, capitalem trochaeum in quartâ sede habet.

V. 12. *Quam non apparere etc.* Sic in Codice; versiculus tamen syllabâ est mutilus. Hinc loco *Quam* legendum esset *Eam.*

V. 13. *Furore plena etc.* Sic edidit Cassittus qui demum loco *et* legendum ait *ac.* In Codice *F . . . re plena vocat . m . es ad verb . . . .* Jannellius Codicis vestigiis inhaerens putat legendum esse *ad verbera.*

V. 14. *Proponit gravia, verum.* In Codice *Pro . . nit gr . . . . um.*

V. 15. *Inquit.* In Codice *. nq . . . .*

Quidem. In Codice *certe.* Mutatio proponitur a Jannellio, ne spondaeus offendatur in sextâ sede.

FABULA XVII.

V. 1. *Premente etc.* Agrippina Scrofa; Sejanus Lupus. Cassittus. Male autem in Codice legitur *Tremente* loco *Premente.*

V. 4. *Fraudes.* In Codice *fraudem*; hinc versiculus est syllabâ mutilus.

FABULA XVIII.

V. 1. *Feles etc.* Feles Caligula et Socii; Gallus. Tiberius. Cassittus.

Lectitarios. In Codice *lectitarius*; sed palam est, inquit Jannellius, mendum in voce irrepsisse.

V. 2. *Gloriose.* In Codice *gloriosa.* Vox ad Gallum procul dubio referri debet.

V. 6. *Societas fera.* In Codice *fera societas.* Jannellius verborum trajectionem proponit, ne versiculus vel syllabâ sit brevior, vel trochaeum habeat in quartâ. Cassittus legit *sero societas.*

FABULA XIX.

V. 1. *Servus etc.* In Tiberium qui dictus Asper. Servus est auctor Herculaneum relegatus; Aesopus vicinus, Claudius in villà apud Pompejos. Cassittus. Praeterea Cassittus ipse hoc alio versiculo Fabulam incipit: *Malo non esse disces addendum malum*, dicitque in Codice legi: *Non esse malo addendum malum.*

V. 4. *Appellari nomine.* In Codice *appe . . . ri nom . . . .*

V. 5. *Tutò etc.* Versiculus ut est in Codice: *Tuto quia apud te querela deponitur;* trochaeo corrumpitur tum in tertià tum in quartà sede.

V. 6. *Plagae etc.* Sic supplet Jannellius. In Codice *Plagae supersunt* . . . . *b . r*. Cassittus: *Plagae supersunt semper mihi post verbera.*

V. 7. *Subinde etc.* Sic supplet Jannellius. In Codice *Subinde ad v . . . . . m* . . . . Cassittus: *Subinde ad verberandum deficiunt manus.*

V. 8. *Totis persto.* In Codice *to . . . . . . sto.*

V. 9. *Sin est vocatus, dego ad lucem in semità.* In Codice: *Sive aestu vocatus . . . o ad lucem in sem . . . .* Jannellius supplet *Sive aestu vocatus, dego ad lucem in semità.* Cassitus: *Sive est vocatus; vigilo ad lucem in semità.* Noster Fabularum excriptor *sive* mutavit in *sin*. Opportunissimam affert Cassittus expositionem sententiae: Plerumque ad pedes domini cujusque sui manebant in triclinio servi, et soleas custodiebant. Sed haec Romana consuetudo fuit. Phaedrus mores Graecos describit. Attamen puto non omnes servos dominum sequutos in Romana triclinia, ne illuvie et frequentià suà convivas offenderent. Itaque erant de grege servorum, qui stabant in semitis, ibique dominum expectarent.

V. 11 *Si mihi.* In Codice *mihi si*; et male, inquit Cassittus, ter exhibui *si mihi.*

V. 13. *Patior Dominum.* In Codice *patior Dom* ..... Versiculus recte haud quaquam procedit, quum trochaeum habeat in quartâ. Hinc Jannellius emendationem praefert: *Et saevum Dominum patior infelix super.* Cassittus hanc aliam: *Et super, infelix! saevum patior Dominum? Ego.* Nostri Fabularum excriptoris est lectio quam hic habes.

V. 14. *Promere.* In Codice *pro* .....

V. 16. *Nil feceris.* In Codice *nihil fec* ..... Legendum est *nil* ob leges carminis.

FABULA XX.

V. 1. *Equum etc.* De se ipso Auctorem loqui putat Cassittus in hac Fabulâ quam is hoc alio versiculo exorditur: *Ferendum aequo animo est quidquid acciderit mali*, addita voce *mali.*

E quadrigâ. In Codice *et quadrigam.*

V. 5. *Ludis.* Sic Jannellius in Codice legit. Cassittus vero lectionem *laudis* omnimode tuetur. Phaedrus enim ipse in Fab. 5 lib. V. inter vulgatas: *Venere artifices laudis ad certamina.*

Certamina. In Codice *certam* ....

V. 6. *Ite.* Cassittus asserit se vidisse in Codice diserte scriptum *vivite.*

V. 7. *Sine me, cursu.* In Codice *sine m. . ursu.*

V. 8. *Furis attraxit.* In Codice *f... s .ttraxit.*

FABULA XXI.

V. 1. *Si quando etc.* Rursus de se ipso Auctor. Cassittus.

V. 2. *Prendens petram.* In Codice *prendens petr*...

V. 3. *Demittit.* In Codice *dimittit.* Fortasse et hoc defendi potest, sed illud elegantius et frequentius usurpatur.

V. 4. *Canceres.* In Codice *canc*... Hinc videtur esse legendum *cancri*; sed hac voce, inquit Jannellius, metrum non servatur, quum versiculus sit syllabâ truncus, et spondaeo terminetur. Bene ergo *canceres* legit Cassittus, testimonium afferens Prisciani qui lib. V. ait: *Cujus* (Cancer) *genitivus canceris esse debet, ut cicer ciceris.*

V. 5. *In terram etc.* Sic in Codice, ut edit Jannellius. Cassittus vero legit: *Intortam adripiens excutit praedam manu.* Terram inutiliter nominari asserit, cum ursus in litore scopulum prehendat, et vix crura vado immergat terrae contiguo. Praedam pilo ursino intortam tutatur Horatii testimonio II. Carm. 13 v. 35: *Intorti capillis Eumenidum recreantur angues.* Urso manus attribui a Plinio ostendit, ubi lib. VIII. c. 35 legere est: *Adripiens praedam manu.* Verbo denique *excutit* subintelligit, in terram.

V. 7. *Stultis.* In Codice *stulto*, quâ voce corrumpitur metrum; et quum versiculus, inquit Jannellius, loco epimythii sit, recte casus amplioris potestatis usurpatur.

FABULA XXII.

V. 1. *Quidam etc.* Corvus Caligula spes populi ludit, cui solebat adulari. Sic Fabulam interpretatur Cassittus, quam ipse hoc alio inchoat versiculo: *Verbis saepenumero homines decipi solent.*

Devium carpens iter. Sic supplet Jannellius. In Codice *d.v... carpens ...r.* At Cassittus loco *devium* legit *divitis*, et notat: An potuit sequi devia viator, qui properaret? Divitis autem agros apposite Phaedrus dixit, quia Corvum dominus agri loquacem habebat, in quo luxus. Vide Burm. ad Petron. c. 28.

V. 3. *Gradum.* Sic supplet Jannellius ubi in Codice legitur tantum *gr....*, ac *capere gradum* eandem habere vim putat, ac *facere gradum.* Cassittus legit *gradi*, atque *coepit gradi* latine dici tuetur, ut *coepit ambulare*, *ire coepit* et his similia.

V. 4. *Sonus.* Sic edidit Cassittus. In Codice *sonat*; si Jannellio credamus.

V. 5. *Confirmatus restitit.* In Codice *co.f..matus rest.....*

V. 6. *Reciperet.* In Codice *recip.....*

V. 8. *Illico.* Cassittus in Codice superesse ait *illi...* Hinc *illico* legit. Jannellius in ipso Codice asserit esse *mill....* Hinc *millium* supplet, ac notat: Eâ morâ viator frustra tempus insumserat, jacturam ejus temporis fecerat, quo aliquot milliaria confecisset. Millia autem pro milliaribus probata vox est. Cicero pro Caecin. c. 28: *Is non est ausus dicere quot millia fundus suus abesset ab urbe etc.* At bella quidem phrasis, reponit Cassittus, *tempus mille passuum.*

V. 11. *At male tibi sit.* In Codice *At tibi male sit.* Verborum trajectione Jannellius evitat corruptum versiculi metrum.

FABULA XXIII.

V. 1. *Serpens etc.* Serpens Sejanus, Lacerta Phaedrus, Surculus Claudius. Innuit se in Pompeiano secessu, favente Claudio, inimicum effugisse. Cassittus.

FABULA XXIV.

V. 1. *Canes effugere etc.* In Castorem tangit Tiberii adoptivum filium. Cetera conveniunt in delatores aetate Tiberii. Cassittus.

V. 2. *Loquaces.* Taxat, ut solet, Graeculos, quorum loquacitatem passim veteres reprehendunt. Cassittus.

V. 3. *Bestiae.* Ne cogites ineptum atque a proposito alienum quod hîc de Graecà Fibri adpellatione interponitur. Hic fuit Phaedro mos, si oblique vellet amicis aliquid reconditum indicare. Ludit ergo Poeta non sine felle. Tiberius Drusus adolescentulus Tiberii Aug. filius perstringitur, cui nomen Castoris adulatores in comitatu Caesaris indiderunt, quod solitus esset pugnis mulcare obvios. Vide Dionem lib. LVII., et Tacitum Ann. IV. 3. Denique comites Tiberii Phaedrum hic pugugisse suadent illa Taciti Ann. IV. 58: *Arcto comitatu ... liberalibus studiis praediti, ferme Graeci, quorum sermonibus levaretur.* Accedit Suetonius Tiber. c. 56: (*Zenonem et Seleucum*) *convictores Graeculos, quibus vel maxime adquiescebat.* Cassittus.

V. 4. *... i qui.* Codicis lacunam explet Cassittus *Vani qui*, atque scholium addit: Copiosam quidem prae Latinà linguam Graecam fatetur Phaedrus cum Quintiliano XII. 19, Macrobio II. 9, aliisque; sed

copiam illam ut loquacem et vanam reprehendit. Nihilominus et quo ad copiam Latinae linguae Cicero palmam tribuit, de Finib. lib. I. c. 10, lib. III. c. 5, et alibi. Jannellius legere mallet: *Hi, qui se jactant de verborum copiâ.*

V. 5. *Abripere.* Buffonius (Hist. Nat. Vol. XXVI. tom. XI. p. 28) putat Aelianum primum omnium has nugas effutiisse, Hist. An. XI. 33. At Cicero ipse in fragmentis apud Servium ad Georg. I. 58, et Isidorum XII. 2; *Redimunt se fibri eâ parte corporis, propter quam maxime expetuntur.* Ceterum inde ortus error, quod procul conspiciantur castores, quasi velint sibi partes evellere, quum tamen binos ad inguina folliculos fellitent, quos *putorios cellulosos* vocat Linnaeus Syst. Nat. t. I. cl. 5, sp. 23. Cassittus.

V. 6. *Se se peti.* In Codice *se peti*; hinc versiculi metrum non constat. Emendationem ergo fecere et Cassittus et Jannellius.

V. 7. *Divinâ etc.* Stoici putarunt mundum rationale esse animal. Ideo Natura, Divinitas Stoica, non nisi ratio in porticu adpellata est. Seneca ad Helv. c. 9. *Incorporalis ratio ingentium operum artifex.* Phaedrus ergo Stoicorum particulo Naturam Deam hoc efficere scripsit, ut bestia sibi caveret ab interitu. Cassittus.

V. 12. *Facit corpori.* In Codice *faceret corpori,* prout edidit Jannellius; idque recipio, ait Cassittus.

FABULA XXV.

V. 1. *Odiosa Cornix etc.* Phaedrus sub Ove latet, sub Cornice Curtius historicus, de quo Tacitus Ann. XI. 21: *Longâ post hoc senectâ, et adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis.* Vixit Curtius sub Claudio, quem dicit ut *sidus* Populo Romano repente illuxisse lib. X. c. 9. Cassittus.

V. 3. *Id, inquit, si dentato.* Sic legendum Jannellius proponit. In Codice *I. ....it, si ....* Cassittus supplet *Idem, inquiit, si forte.*

V. 5. *Equidem, et.* in Codice ..*d*.. Cassitto tamen et Jannellio magis arridet lectio *eadem et.*

V. 6. *Quos.* Vestigia Codicis *q*... addicunt *quem*, et Phaedrus in similibus singularem numerum amat. Fab. 3 lib. VIII. v. 14: *Apertum est quis non possit et quis fecerit.* Fab. 14 v. 10: *Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris.* Jannellius.

Queis. In Codice plane deletum est verbum. Cassittus qui antea legit *quos*, hic supplet *queis.* Jannellius, qui antea praetulit *quem*, hic supplendum esse putat *cui.*

V. 7. *Tot per annos.* In Codice ...... *annos.* Hesiodus novem aetates dat cornici, triginta sex cervo, centum et octo denique largitur corvo. Rectissime, si aetatem de anno accipias, non de vitae spatio. Cassittus.

FABULA XXVI.

V. 1. *Cum Venatorem etc.* In Codice *C...... torem.* Cassittus Fabulam orditur hoc alio versiculo: *Multi infedeles pectore, verbis benevoli;* atque eam sic interpretatur: Tiberius Bubulcus, Lepus Phaedrus, Venator Seianus. Simulabat Tiberius, aut potentior quis alius, tueri Phaedrum, quem perditum cupiebat.

V. 2. *Irreperet.* Sic supplet Jannellius. In Codice ..*reperet.* Cassittus mallet legi *adreperet.*

V. 3. *Oro.* In Codice deest hoc verbum. Hinc necessario restituendum, ne versiculus sit toto pede mutilus.

V. 5. *Ne timueris.* In Codice *ne timeret.* Hinc male offenditur in quintâ sede trochaeus, in sextâ spondaeus. Jannellius lectiones proponit:

Et Rusticus ne timuerit, vel potius *Et Rusticus ait: ne time.* Cassittus: *Et Rusticus, ne time, retro.*

V. 13. *Maximas me.* In Codice *me maximas.* Trajectio verborum facienda ob carminis leges.

FABULA XXVII.

V. 1. *Quum servus etc.* Claudius loquitur de adulterio Messalinae et Silii. Sic Fabulae interpres Cassittus, qui Fabulam ipsam hoc alio aggreditur versiculo: *Nullum maledictum est gravius conscientiâ.*

Integram Fabulam, ut Cassittus interpretatur, sic habe:

Nullum maledictum est gravius conscientiâ.
Quum Servus numos simulans quosdam solvere,
Uxorem Domini constupravisset sui,
Idque ille sciret fore clam circumstantibus;
Placet tibi? inquit; quod herae non debes, placet?
Sed non impune. Quia mi debes, non placet.

Servus nequissimus, inquit Cassittus, in secreto cubiculi simulans argentum numerare Dominae, ipsam constupraverat. Dominus quum negotium sibi notum circumstantes latere vellet, obscurius cum furcifero colloquitur, pudori suo parcens. Ain' tandem, inquit, mastigia? Satin' hoc tibi placet, quia non debes? quia satisfecisti? Nec tamen impune feres. Poenas mihi adhuc debes, atque hae tibi rationes mecum dispungendae adhuc supersunt. Jam puto hoc tibi non placet: et conscientiâ instantis poenae vel nunc discruciaris.

Eandem, ut Jannellius, Fabulam qui testatur se Codicis vestigiis haesisse, aliter lege:

Quum Servus noxiam secretam admiserit,
Uxorem Domini depsuisset quod sui;
Idque ille sciret coram circumstantibus:
Places tibi, inquit? Nam quum non debes places;
Sed non impune, quia quum debes non places.

Ad verbum *depsuisset* Jannellius notat ad obscenum sensum rite traduci *depso*, teste Cicerone ad Attic. L. XX. Ep. 22. Atque haec est illa secreta noxia, quam in priore versiculo legimus. Neque mirum Dominum coram circumstantibus eâ de re servum arguisse; nam fieri potuit, ut ille certam culpam reticeret, sed etiam si aperuisset, haud pauca exempla veterum occurrunt, qui lepide potius et urbane se gesserunt uxoribus in adulterio deprehensis. Vide, si omnino lubeat, Valerium Maximum, Martialem, Apuleium, Boccaccium, atque alios hujusmodi. Jannellius demum duobus postremis versiculis hanc tribuit sententiam. Dominus servum scelestum alloquens: Placesne tibi, ait, modo ob patratum facinus? Certe quidem tu quum placere tibi non debebas, antequam scilicet illud patrares, tum placuisti, quia feceris. Id tamen haud impune factum est. Nam quum tu placere tibi magis debuisses eo confecto, quod voluntatem tuam satisfecisses, et genium explevisses, tum contra facti poenitens, malâque animi conscientiâ actus tibi ipsi amplius nequaquam places.

FABULA XXVIII.

V. 1. *Papilio etc.* Vespa Sejanus, Papilio Phaedrus. Cassittus.

Pr............ videns. Cassittus supplet *praelio invictam videns;* Jannellius *praetervolitantem videns.*

V. 2. *O sortem etc.* In Codice *O sortem ....d.... m. ba..t...s.* Cassittus supplet: *O sortem indignam! a mulis membra tu accipis;* et notat. Ex mortuis asinis oriri vespas dixit Aemulius Macer, teste Servio ad Virg. Aen. I. 439; sed Poeta noster de mulorum exuviis nasci Vespas opinabatur, ut patet ex versiculo 7: *Tu qui fuisti mulus.* Jannellius: *O sortem iniquam, ait, et damnum e barathris malum;* vel etiam: *O sortem miseram, et ductum de barathris malum.* Barathra autem, explicat ipse in notis, hic dici puto ipsos folliculos, quibus se se includunt papiliones, quum adhuc vermes sunt. Plura autem congerit, quibus probare conatur verbum *barathra* ad hanc sententiam recte usurpari posse.

V. 3. *Quorum etc.* In Codice: *Quorum ex re....... ...m. os a........* Cassittus supplet: *Quorum excrementis orta: nos ab equo sumus.* Jannellius: *Quorum ex reliquiis animam nos accepimus.* Perspicua est sententia lectionis, quae est Cassitti, suboscura quae Jannellii. Hic ergo notat: *Reliquias* vocat Auctor ipsa vermium corpora, quum se se in papiliones convertunt, quum cadavera potius, quam viventia animantia videantur. Verum est dici proprie reliquias, quae ex corporum combustione supererant, sed Auctor noster Fab. XIV. integra damnatorum cadavera *reliquias* dixit. Ovidius vero Metam. XV. 371, papiliones *ferales* vocavit, quia scilicet veluti ex sepulchro surgere videantur, et conditi ex morte iterum reliquiisque sepulchri ad vitam regredi. Quod *animam* intendere potuit auctor ad Graecorum ψυχήν, quo nomine ipse papilio no-

tabatur, ideoque non animam spiritumve quo papilionis corpus informatur, hac voce notare, sed volandi facultatem, perinde ac scripsisset: ex reliquiis, quas illis sepulchris condidimus, nos deinceps sumsimus volandi potestatem, quà antea carebamus, et volatiles facti sumus.

V. 4. *Ego etc.* In Codice *Ego loquens in p....* Cassittus supplet: *Ego loquens in paternis*; ego scilicet praelio fortis si de praeliis paternis loquamur. Jannellius: *Ego loqueus in pace.*

V. 5. *Antea.* Verbum plane deletum in Codice, quod Jannellius supplet Cassittus vero legit *cogito.*

V. 6. *Et volatilis.* Lectio Cassitti est. In Codice *et vol......is.* Jannellius supplet *volito ciuis*, vel satius ad syntaxim *volitaus cinis.* Ad primam lectionem haec notat: Papilio se cinerem fortasse dicit, quod veluti ex reliquiis sepulchri, deque suis cineribus resurgeret. Cineres autem saepe et eleganter Latinis sunt reliquiae defunctorum. Haec alia ad secundam: Cinis esset pulvis ille quo papiliones conspersi sunt, et quo cuncta, quae attingunt, inficiunt.

V. 8. *Fixo aculeo.* In Codice *infixo acu....* Sed quum secunda in aculeo, inquit Cassittus, producatur, oportet emendes ut feci.

V. 9. *Edidit.* In Codice *edi....* Animadverte initio hujus versiculi legi *Et* non vero *at* tam in Codice, quam apud editores Cassittum et Jannellium.

V. 10. *Vide.* In Codice ..*de.*

FABULA XXIX.

V. 1. *Quum blandiretur etc.* Hic amores Claudii et Messalinae argui a Phaedro putat Cassittus, qui Fabulam, sic legit:

Quum blandiretur Juveni Meretrix perfida,
Et ille laesus multis saepe injuriis

Tandem praeberet se se facilem mulieri;
Sexcenti, inquit, rivales muneribus licet
Contendant, ego te plurimi facio tamen.
Juvenis recordans quoties deceptus foret:
Lubenter, inquit, mea lux, hanc vocem audio,
Non quod fidelis, sed quod jucunda est mihi.

Jannellius vero hanc aliam praefert lectionem Codicis vestigiis tenaciter inhaerescens, ut ipse testatur:

Quum blandiretur Juveni Meretrix perfida,
Et ille laesus multis saepe injuriis,
Tameu praeberet se se facilem mulieri;
Sic infedelis: plures muneribus licet
Contendant, ego te plurimi facio tamen.
Juvenis etc.

Animadverte tamen Codicem habere *est mihi* in postremo versiculo, Jannellium vero conjicere legendum esse *es mihi*, et Cassittum fateri non malam esse Jannellii conjectionem.

FABULA XXX.

V. 1. *Avis etc.* Terraneola (quam Itali vocant *Lodola*) Phaedrus; Vulpis Sejanus, qui auctori objecerat spem lucri. Cassittus.

V. 3. *Occucurrit.* In Codice *occurrit.* Lenissima emendatio, quà metrum restituitur,

V. 8. *Non est etc.* In Codice ... *est quod m..uas rogo, te ....um diligo.* Cassittus supplet: *Quid est, quod metuas rogo? te multum diligo.* Jannellius. *Non est quod metuas rogo, te multum diligo.*

V. 9. *Propter tam sanctos mores*, legit Cassittus ubi in Codice *Propter .s..tos mores.* At Jannellius loco *tam sanctos* mallet legere

astutos, additque hanc vocem in bonam saepe partem usurpari pro *solerti*, *ingenioso*, *prudenti*, *urbano*, atque legendum esse *Astutos propter mores*; nam secus trochaeus in primâ sede offenditur.

V. 10. *Tu quidem.* In Codice *T*. . . *idem.*

V. 11. *Non etc.* Cassittus supplet: *Non socia sum propterea tibi, sed subvolo.* Jannellius: *Non sum tamen propius tibi, sed sum sub dio*, atque haec notat: Romani *dium* vocabant aerem circumiacentem. Terraneola autem revera in aere manebat. Sensus ergo est: Tu quidem bene et recte loqueris, ignosce tamen mihi (ironice) quum non sim modo prope te super terrà, sed sim in aere. Cum vero in *dio* prima syllaba universe producatur, Jannellius ipse contendit eam posse corripi.

V. 12. *Quin etc.* Cassittus supplet: *Quin sequeris praedam? etiam tibi committo meam*; et versiculum hoc pacto exponit: Cur potius, mea Vulpecula, praedam tuam non sequeris? Immo et ipsa meam praedam (victitat enim alauda insectis, ut videre est apud Linnaeum Syst. Nat. t. 1, cl. 2, ord. 6, n. 105) curae tuae committo, grillos nempe, scarabeos etc., atque hanc tibi demando provinciam.

EPILOGUS.

V. 1. *Hoc qualecumque etc.* Sejanus carpitur, homo nequam, tacite iratus Poetae. Cassittus. Hos tres versiculos, qui ad longiorem Epilogum vel Prologum facillime pertinebant huc consulto reservavimus. Jannellius.

Haec e plurimis commentariis scholiisque Jannellii et Cassitti sufficiat elegisse, ne adagium in nos merito quis possit objicere; mantissa obsonium vincit.

INDEX FABULARUM.

ERRATA	CORRIGE
P. 51 l. 3 particulam	particula
56 » 19 luxoriosos	luxuriosos
65 » 14 *Lectitarios*. In Codice *lectitarius*	*Lecticarios*. In Codice *lecticarius*